Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31247
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

tat xpus eo quod sciat saciari et esurire habundare et pe-
nuriam pati In hoc gradu caritatis omnia suffert
omnia credit omnia superat omnia sperat In hoc
gradu caritas paciens est benigna est non est ambi-
ciosa non agit perperam non querit sua et nescit reddere
malum pro malo nec maledictum pro maledicto sed con-
trario benedicit Qui in hoc gradu est libere dicere potest
Omnibus omnia factus sum ut omnes lucrifacerem
Deinde cupit anathema fieri a xpo pro fratribus suis qui
eiusmodi est Quid ergo dicemus nonne hic amo-
ris gradus videtur animam hominis quasi in quan-
dam amenciam uertere non enim sinit eam in emu-
lacione modum mensuramque tenere.
Nonne summe amencie videtur esse
veram vitam depellere summam sa-
pienciam arguere omnipotencie resis-
tere Nonne vitam repellit qui pro
fratribus a xpo separari cupit Sic et ille qui
dicit Aut ignosce illis noxam aut
dele me de libro vite in quo me scripsisti Nonne sapienciam
velle arguere vel velle docere videtur qui ad deum lo-
quitur Absit a te ut hanc rem facias et occidas cum im-
pio iustum fiatque iustus sicut impius non est tuum
iudicium ut qui iudicas omnem terram nequaquam
facias hoc iudicium Nonne omnipotencie resistere
temptavit omnipotentisque iram mitigare hic pre-
sumpsit atque iam prevaluit quando iam egressa a domino
ira iam seviente incendio ignibusque furentibus
huius se obiecit et viventibus ac morientibus medius
stetit ut non finem incepit Ecce in quantam presump-
cionis audaciam consummacio caritatis solet mentem
erigere Ecce quomodo facit hominem supra hominem
presumere Sed pene totum plus est quam humanum
quod de domino presumit quod de domino agit quod in
domino vivit totum mirum totum stupendum.